

V c  
2069





h. 20, 57.  
QK. 20(57)



PAEAN LYRI-  
CVS DE VICTORIA DIVORVM  
FRATRVM, CAROLI AVGVSTI  
ET FERDINANDI CAESARIS  
PRINCIPP: AC DD. NN.  
CLEMENTISSI-  
MORVM.

D. Magro Johanni Lirio  
sch. L. Lig. Holovis  
amico Causis



PAEAN LYRI-  
CVS DE VICTORIA DIVORVM  
FRATRVM, CAROLI AVGVSTI,  
ET FERDINANDI CAESARIS  
PRINCIPP. AC DD. NN.  
CLEMENTISSI,  
MORVM.

QVæ fausta Regum dicere prælia  
Victos & hostes, Calliope soles.  
Nunc uoce, uocaliq; plectro,  
Dic age, dic celebres triumphos.

Asueta quales qualibus es modis  
Cantare laudes sceptrigero Ioui  
Et Dijs periclo liberatis  
Cælitibus, puerisq; Diuum.



Quando insolentes Iupiter impetus  
Tellure natorum ipse Gigantium  
Compressit, expertus Deorum  
Auxilium, atq; manus fideles.



Sic multichordem diua age barbiton,  
Impelle dextro pectine, & inclytas  
Victorias dic principum ore  
Quo potes usq; potes, sonoro.

Die

I.  
M  
TI.  
Dic ut superbi contuderit minas  
Et Cæsar Hæssi contuderit manus,  
Ipsūq; saxosum sonantem  
Militibus superarit Albim.

Dic, ut rebelles imperij ordines,  
Et sentientes hostica subditos,  
Moræq; uictrice, atq; lento  
Marte coercuerit Dynastas.

Vt fæderatarum ac socialium  
Mox ciuitatum fregerit impetus  
Atq; institricēs vt tabernas  
Imposito attenuarit ære.

Dic Ferdinandi Regis in omnibus  
Rebus, fidemq; & propositū tenax  
Ludosq; fortunæ procaces  
Fortem animum tolerare suetum.

Dic ut bibentes Albidos integrum  
Fontem Bohemos fregerit, & nouas  
Res molientes inde paucos  
Supplicio abstulerit benigno.

Diuina res est imperium à Deo  
Solo tributum principibus pñs  
Contaminandum nec furore  
Seditionibus aut scelestis,

A ij

Testis

Ex Plat.

Polit.

Euripid.

Iphigeni.

In Tauris

Hesiodus  
Theogonia

Testis Gigantum uana tumentium  
Præceps ruina ac exitium graue,  
Olim uiam affectare cælo  
Turpe, Deum patriæ, appetentum.

Testis caduco fulmine Veiovis  
Deiectus Olsæ Porphyrion iugis,  
Et tectus Aetnæa Typhœeus  
Mole, leues uomit ore flammæ

Deditq; pœnas stultitiæ graues  
Centena iactans brachia Briareus  
Et trux Echion & Damastor.  
Enceladusq; Giges, & Idas,

Exempla victæ clara superbiæ  
Extant, Deorum ne quis ut antea  
Irritet iras, & potentum  
Speret opes, rapiatq; sceptræ.

Pindarus  
Olympijs

Idē Isthmijs

Idemq; castus Bellerophon docet  
Minerua frenum cui licet aureum  
Donasset, atq; artem domandi  
Præpetis egregiam caballi.

Ausus quietas Cælicolum domos  
Tentare, præceps alite pegaso  
Excussus, admissi insolentis  
Præmia digna tulisse fertur,

Vides

Vides ut omnes omniparens parens  
Natura miro res agat ordine  
Discorsq; concordia rotatu  
Temperet, atq; gubernet orbem.

Sic dura Veri cedit hyems nouo  
Et caeca solem nox fugit obuium  
Minus nec indignatur astrum  
Cedere syderibus supremis.

Sophocles  
Aiace Maffi  
gophoro

Brutisq; uis est haec animantibus  
Innata, Reges sentiat ut suos.  
Regina lex est ut minores  
Viribus editior gubernet.

Pindarus  
Nemeis &  
alibi, citate  
Platone in  
Gorgia.  
Aristot.  
Plinius

Scriptura Reges difficiles licet  
Duros ue q; uis sacra coli iubet  
Nec non magistratus feroces  
Sic ista prophana docent uerendos.

Plutarchus

Regum necesse est imperium pati,  
Duroq; corpus subdere calcari,  
Nec calcitrare aduersus acres  
Sed stimulos bene ferre fas est.

Euripid. |  
Bacchis  
Aeschylus  
Prometheo

Quinimmo clemens imperium magis  
Mitesq; iussus, rite ueremini  
Et Regis, Augustiq; fratris  
Legitima tolerate habenas

A in

Obtem=

Aeschylus  
Persis

Obtemperandi principibus suis  
Præfens uoluntas, alma parens bonæ  
Fœlicitatis est, & vxor  
Ipsa salutiferi tonantis.

Sophocles  
Antigona

Licente rursus deterius nihil  
Vita, hæc & vrbes & diruit domos  
Et milites quibus feroces  
Terga fugæ dare foeda cogit.

Ex sacra  
scriptura

Atque ipse princeps, ipse Deus Deum  
Magno Deorum nomine principes  
Dignatur, infernatis ipsos  
Constituat dominos ut orbis.

Ex Aristo.  
Polit.

Ecquando præfens subsidium magis  
Sensistis? aut quis iustius imperat?  
Virtute, quæ qui præstat &, qui  
Consilijs, opibusque pollet.

Diuina cui mens, cui sapientia  
Regina uirtutum, atque modestia est  
Quem fortitudo, temperansque  
Ingenium, ingenuusque candor,

Ornantque dotes quas nihil attinet  
Compendioso includere carmini  
Multique lucentes in vnis  
Principibus velut vniones

Quis



Quis imminentes dexterius Scythas  
Auertet? aut quis praelia tutius  
Capesset, Hispano, Italoq;  
Milite Theutonicoq; fretus.

Quis uera nobis sacra fidelius  
Recteq; factis iustificam fidem  
Componet? & leges paternas,  
Aut patriæ decus arrogabit.

Quam certa Regum progenies, duo  
Totius orbis lucida sydera,  
Qua Ferdinandus, Carolus qua  
Classe potens, et equis vterq;.

Nec pulchra multorum dominatio est  
Princeps sit vnus, vel potius duo Ex Homero  
Regnanto, germaniq; fratres.  
Auspicijs dominantor æquis.

Quo diu pergis? desinè grandium  
Non hæc iocosæ conueniunt lyræ  
Sed orsa sub quercu hac, vel illa  
Mox repetes leuïora pinu.

I. L. B. I. C.


QK 2069

(72206276)

nc







h. 20, 57  
QK. 20(57)

V c  
2069

PAEAN LYRI-  
CVS DE VICTORIA DIVORVM  
FRATRVM, CAROLI AVGVSTI  
ET FERDINANDI CAESARIS  
PRINCIPP: AC DD. NN.  
CLEMENTISSI-  
MORVM.

D. Magro Johanni Lino  
fch. L. L. L. L. L. L.  
amico Causis

